XXIIa pars. De quibusdam gestis Gregorii noni (et morte regis Lodovici). f. 152!

(Unde dicuntur Gibellini et Guelfi) Not. a. h.

MCCXXVII. Gregorius nonus, natione Campanus, vocatus Hugolinus episcopus Hostiensis. Hic missus fuit in Lombardiam, que occasione Federici tota divisa erat. Fuerunt enim duo fratres de Suevia nobiles. Unus dictus est Gibellinus, qui secutus est imperatorem, alius Guelfus, qui secutus est ecclesiam; a quibus illi de parte imperii dicti sunt Gibellini, illi vero de parte ecclesie dicti sunt Guelfi. // Eodem anno primo monuit Federicum, ut ab inceptis desisteret, et non proficiens sententiam Honorii renovat. // Regem Francie Lodovicum in itinere positum infirmitas invadit die Iovis ante festum omnium sanctorum, die Martis sequentis apud Monpantier labitur in frenesim; sequenti vero dominica, in octava scilicet omnium sanctorum, migravit ad Christum. Hic vere catholicus, mire sanctitatis fuit, cunctis diebus vite sue numquam carnem suam extra legittimum matrimonium maculavit. Ubi completa dicitur fuisse prophetya Merlini que[a] dicitur: In monte ventris morietur leo pacificus. Ubi aliquando nullus auditur Italicus decessisse. Lodovicus autem filius [eius][b] ei successit. Ferdinandus comes Flandrie, qui per annos XII et dimidium Parisius per captionem detentus fuerat, multa redemptus pecunia liberatur.

XXIIIa pars. De canonizatione beati Francisci.

Licet in vita miraculis stupendis claruerit, post mortem tamen ipsius in diversis orbis partibus multiplicantur in devotis ipsius impetrata beneficia, ita ut clamantibus signis tam sermonum quam operum ad aures summi pontificis domini Gregorii noni, que per servum suum Franciscum Deus operabatur magnalia pervenerunt. Informatur itaque non solum ex auditis, sed ex visis oculis et manibus

a) q dr. c.

b) uncis inclusa e coniectura supplevi; in c. post filius legitur nadus etc.

doi